



## METHODUS DOCENDI

### Pro unaquaque aula

1. Docens verificat exercitia et pensa data, alumnis non legentibus solutiones praeparatas (si quae sint) sed spontanee respondentibus, legendo librum exercitiorum. Post exercitium uniuscuiusque lectionis, docens explicat notas marginales si opus sit. Pensis Capituli verificatis, alumni cum magistro legunt *Colloquium personarum*, quasi dramatice.

2. In initio unoquoque capitulo docens explicat imaginem in prima pagina capituli et sic introducit vocabularium. Deinde alta voce et expressive legit capitulum integrum, sine parte grammatica.

3. Pro unaquaque lectione (capitulum in lectiones dividitur):

- alumni legunt lectionem alta voce et expressive, in quantum possunt
- docens explicat vocabularium novum et grammaticam cum notis marginalibus
- dat ad faciendum in cella: praeparare exercitium pertinens ad lectionem nihil scribendo in libro (non tantum paupertatis causa sed ad bene discendum), legere partem pertinentem libri *latine disco*

4. Capitulo sic integraliter explicato ut supra dictum est,

- legere partem grammaticam
- dare ad faciendum in cella: re-legere totum capitulum, Pensa nihil scribendo in libro, praeparare *colloquium personarum*

**N.B.** Numquam facere excursus grammaticum de morphologia vel syntaxi. Hoc docentem delectat sed non adiuvat alumnos.

Post unumquodque quintum capitulum, exercitia scripta, ad libitum:

- summularium capituli – dictatio – interpretatio in linguam patriam (habeo libro italico *latine doceo*) – interpretatio in linguam latinam – retroversio in linguam latinam.

### **Quis secundum rationem docendi cui index est « LINGUA LATINA PER SE ILLUSTRATA » docere possit**

Non necesse est magistrum iam esse peritissimum sermonis latini, si paratus est omnibus viribus operam dare ut eventus discipulis suis sibi que sit optimus. Doctor umbraticus autem, qui mavult scientiam suam ostendere quam discipulis tradere, haud facile evadet magister capax, neque ille qui vult tantum pensa tradere ut discipuli domi id faciant, quod magistro ipsi faciendum erat. Oportet magister in schola revera scientiam et peritiam linguae tradere velit; sit navus, vivax, nullo modo neglegat officium suum, sat severum se praebeat, neque vero

superciliosum et tristem: semper valeat in discipulorum animis studium excitare discendi; variis diversisque exercitationibus vividas reddat scholas, quas recitat, semper hortetur discipulos ne sint tantum auditores passivi, ut ita dicamus, sed active lectionum participes fiant. *Variatio delectat*. Discipulos suos diligat et cordi habeat eos ad plenam et perfectam Latini sermonis scientiam perducere.

Nullus vero fructus orietur magistro coacto uti ratione docendi cui non favet. Magister navus potest bene docere ratione quae inscribitur *Lingua Latina per se illustrata* fretus, dummodo et persuasum sit ei de utilitate eius et erudiatur in ratione docendi. Si enim magister ipse non favet viae rationique docendi, qui potest discipulos ad linguam per illam methodum non modo descendam, sed etiam amandam perducere? Nemo dat quod non habet. Oportet magister revera methodo faveat sibi que persuasum habeat viam, quam ingreditur, omnium esse ad finem suum persequendum optimam. Quod ni fit, periculum est ne tota institutio pessum eat, et discipuli non modo nullo capiantur erga linguam Latinam amore, verum etiam odio quodam in eam invehantur. Facile enim et statim discipuli intellegunt quid magister sentiat de disciplina, quam profitetur, et de via, quam emetitur ad eos docendos; et si eum vident tepidum esse vel etiam prorsus eum methodis, quibus invitus utitur, adversari senserint, certe ex semetipsis quaerent qua de causa sibi sit eam amplectendam viam, quae ne magistro quidem probetur. Praeterea si quae difficultates intervenerint in discendo (quod fere semper fit), tota culpa recidet in methodum. Neque praetereundum est magistrum, qui methodum non amat et contra voluntatem suam adhibet, etiamsi non animadvertit, neque consulto id facit, continenter illius docendi viae vitia monstraturum et virtutes omnes aut occultaturum, aut non visurum esse.

*Quaerendus igitur est magister, qui ardeat non solum linguae, sed etiam methodi amore, ut ex animi sui igne discipulos quoque inflammare possit.*

Omnia pendent a finibus nostris, quia finis rationis docendi quae inscribitur *Lingua Latina per se Illustrata* differt a finibus aliarum rationum docendi, ut **Aloisius Miraglia** iam scripsit:

**« Usus vero linguae Latine, sive per exercitationes scriptas, sive praesenti sermone, sit nobis tantummodo subsidium et via, seu, ut scholastici loquuntur, medium, non meta; quo medio ad verum et unicum finem nostrum facile perveniamus: bene scilicet, accurate, expedite et alte intelligendi scriptores qui Latine opera sua exaraverunt. Per usum vivum normae grammaticae, vocabula, syntaxis, verborum iuncturae et commissurae tam diu et tanta velocitate exercendae sunt cottidie, ut tandem quasi sponte e memoriae peno profluant; neque iam lingua cadaver videbitur dissecandum, cuius nemo amore flagrare potest, neque musei cuiusdam monumentum pulvere situque obductum, sed corpus vivum et vitale, floridum et vere nostrum.**

**Si quis, praeterea, perpetuo necesse habet ex Latino in suum vernaculum convertere sermonem id quod scriptum Latine videt, is revera non legit opera Latina, sed aegre interpretatur. Neque vere convertit qui non intellegit: ut enim probe Martinet ille, doctissimus vir, demonstravit, nihil aliud est convertere ab altera ad alteram linguam, nisi re-cogitare et alia forma verbis exprimere id quod iam intelleximus. Nostri vero discipuli plerumque non intellegunt, ut vertant, sed vertunt, ut intellegant. Quod est omnino absurdum.**

**Non sunt videlicet praetermittendae neque minoris momenti habendae normae grammaticae: sed doctrina et usus ita inter se copulandi sunt, quasi sint duo crura, quibus procedere, ambulare et currere possimus, vel duae alae, quibus volare liceat, vel tandem duo pulmones, quibus aera spiritu ducamus. Per usum vivum non depauperatur institutio Latina, sed e contra ditescit valde.**

**Quinimmo saepe tralaticiis methodis fit, ut normae in libris grammaticis pertractentur, sed post paucas sententias in propriam linguam conversas, non iam exercentur et oblivione obruantur; hac vero methodo, quam proponimus, cottidie discipuli et legendo, et scribendo, et audiendo et loquendo plurimas, ne dicam omnes regulas grammaticas uno conspectu in promptu habeant oportet easdemque velocissime adhibeant »**